UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 4. Solemnis, festusque Aldobrandini in Urbem ingressus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67263

Visual Library

omnesque illorum reditus, eidem Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ univit, & incorporavit, & diſpoſitioni Conſtitutionis Pii V. editæ ſub datum quartis Calendis Aprilis, Pontificatus ſui anno ſecundo, ſubjacuiſſe, & ſubjacere ſimiliter decrevit, Deoque Omnipotenti, Beatæque Mariæ Virgini, & SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, quorum ope id factum fuit, perpetuo addixit, & conſecravit.

Sæcul. XVI. A. C. 1598.

§. IV.

Solemnis, feſtiusque Aldobrandini in urbem ingreſſus.

Rebus omnibus ita feliciter compoſitis Aldobrandinus Cardinalis præſtituta die Pontificis nomine urbis poſſeſſionem adibat, ubi eidem una cum quinque peditum millibus, ac mille Equitibus accedenti Ferrarienſis Nobilitas ſexto ab urbe lapide obviam procedebat: inſuper Epiſcopus unacum univerſo Clero, & viginti quatuor primæ Nobilitatis adoleſcentibus usque ad urbis portam progreſſus eſt: adventante autem Cardinale primi in civitatem admittebantur pedites, quibus commodæ aſſignabantur ſtationes: poſtea vero Equitatus in binis amplioribus plateis ante Eccleſiam Cathedralem, arcemque ſuo ordine diſponebantur: porro ubi ipſe Aldobrandinus portam præ-

Thuan. l. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1598.

prætervectus erat, occurrebant ei tre-centi pueri, qui festiva voce unacum universo populo: *Vivat Ecclesia! vivat Clemens Pontifex!* conclamantes, suo liberatori vitam longævam precabantur, supplices, ut Judæi utpote Reipublicæ summopere nocivi, quos antea Alphonsus Dux non sine summo civium damno impensius protexerat, quamprimum expellerentur. Hoc comitatu stipatus Papæ Legatus per arcus triumphales progrediens ad Ecclesiam Cathedralem deducebatur, ubi inter musicos concentus, crebrasque populi acclamationes intonato Hymno Ambrosiano solemnes gratiæ Deo rependebantur, priusquam tamen Cardinalis ad ædes sibi destinatas contenderet, Lucretiam morbo laborantem, quæ ad hanc concordiam haud parum contulerat, invisere statuit, inde vero redux, atque ad Palatium suum delatus multa onera antea populo imposita remisit, vel a Cæsare remissa confirmavit: quare tam communis erat omnium lætitia, ut in publici gaudii signum omnibus in tota urbe tormentis explosis artificiosi ignes ubique accenderentur, moxque Magistratus ex cunctis Ordinibus Nobiliores Romam ablegare decerneret, qui etiam eo delati ingenti cum pompa admittebantur, atque a duobus Episcopis

ad

ad publicum Papæ, & Cardinalium conſeſſum admiſſi habita luculenta oratione fidelitatis ſuæ homagium Clementi VIII. Sedique Apoſtolicæ interpoſita jurisjurandi religione præſtiterunt: viciſſim autem Pontifex illos muneribus ampliſſimis cumulatos dimittebat, omnesque hujus populi immunitates, & privilegia confirmans eis pollicebatur, quod ipſemet brevi urbem ſua præſentia honoraturus eſſet: eodem adhuc menſe ad felicitatis cumulum acceſſit, quod Rudolphus Imperator literis inveſtituræ die decima ſeptima Januarii Pragæ datis, Cæſarem Eſtenſem tanquam Romani Imperii Principem, ac Rhegii, Mutinæ, & Carpi Ducem agnoverit. Sæcul.XVI. A.C.1598.

§. V.

Undecim primæ Congregationes in controverſia de auxiliis menſe Januario habitæ.

Cæterum Pontifex iter ſuum Ferrariam verſus differre cogebatur, eoquod controverſia de gratiæ auxiliis inter Fratres Prædicatores, & Jeſuitas agitata ſupremi Judicis præſentiam depoſcere videretur; jam enim deſignati Cenſores Molinæ librum ſeorſim ſeria mente pervolverant, hinc præprimis de ſervando ſecreto fidem ſuam jurejurando

Hiſt. Congreg. de auxil. l. 2. c. 2. Acta Congr. Numn. Coronone. l. Hiſt. Controv. l. 3. c. 3.